Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De purification

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

riacum comprehendit et nudum cum cathenis
ligatum ante currum suum trahi iussit.
Deinde iussit carpasium vicarium ut ipsum
cum sociis suis sacrificare compelleret aut
diversis suppliciis occideret. Et cum picem
super capita eorum liquassent et in eculeo suspen-
dissent fecit Cyriacum cum sociis suis de-
collari. Carpasius autem domum sancti Cy-
riaci impetravit et ad derisionem christianorum
in loco ubi Cyriacus baptizabat se bal-
nearet subito omnes mortui sunt. Et ex
tunc clauso balneo gentiles christianos
timere et venerari ceperunt. ¶ Iero. Eo d
nunc legitur Iosepha sancti. et h inveniem
egiptio interfectus est. Ad petro pau
locus sublimis et hinc romanum gladi
um crucifixerunt. et ut de dibus tacerem
dei filii sustinuit ignominiam crucis.
qui voluptatibus et deliciis perfruuntur
per multas quam tribulationes oportet nos intrare
in regnum dei. De purificatione

Purificatio beate virginis Marie
facta xl. die post natum domini festum est.
Et nota quod istud festum consuevit
appellari scilicet purificatio. ypapanti
domini. et candelaria. Purificatio dicitur
ex eo quod xl. die a nativitate domini beata virgo
ad templum venit. ut secundum consuetu-
dinem legis mundaretur. cum tamen sub
illa lege non teneretur. Precepit enim lex
levitici. xii. quod mulier que suscepto
semine filium peperisset. immunda esset.
vii. diebus. immunda scilicet a consortio ho-
minum et ab ingressu templi. Sed comple-
tis vii. diebus munda quidem efficie-
batur quo ad consortia hominum. adhuc
usque ad xxxiii. diem quo ad ingres-
sum templi immunda erat. Tandem completis
xl. diebus xli. die templum intra-
bat et puerum cum muneribus offerebat.

Si vero feminam peperisset. duplicabantur
dies. et quo ad consortia hominum. et quo ad in-
gressum templi. Quare autem dominus pre-
cepit ut in xl. die puer in templum offerretur.
triplex potest esse ratio. Prima ut per hoc intelligatur quod 1
sicut puer xl. die in materiale templum in-
ducitur. sic xl. die a conceptione ut sepe
anima in corpus tamquam in suum templum infunditur. sic
dicitur in scolastica historia. licet phisica dicit quod
in xlvi. diebus corpus perficiatur. Secunda ut 2
sicut anima xl. die corpori infusa. ab ipso cor-
pore maculatur. sic xl. die templum ingre-
diens per hostias ab ipsa macula am-
plius expietur. Tercia ut per hoc detur in- 3
telligi quod illi templum celeste merentur
ingredi qui x. precepta cum fide iiii
evangeliorum voluerint observare. Et no-
ta quod in pariente feminam duplicantur dies
quo ad templi ingressionem. sic et du-
plicantur quo ad corporis formationem.
Nam sicut in xl. diebus corpus masculi or-
ganizatur et perficitur et in xli. anima in-
funditur. ut sepe. sic corpus femine in lxxx.
diebus perficitur et lxxxi. anima inspiratur.
ut sepe. Quare autem duplo tar-
dius corpus femine perficiatur in utero quam corpus viri.
et anima infunditur omissis rationibus natura-
libus triplex ratio assignatur. Prima quia christus 1
assumpturus erat carnem in sexu viri-
li. et ideo ut ipsi sexui honorem et
ampliorem sibi gratiam faceret voluit ut
citius formaretur. et mater citius mundare-
tur. Secunda ut quia mulier plus peccavit quam 2
vir. sic eius tempus et eius tempus miserie du-
plicatur quam extrinsecus in mundo. sic et dupli-
cari debuerunt intrinsecus in utero. Tercia 3
ut per hoc detur intelligi quod mulier quo-
dammodo plus fatigavit deum quam vir ex
eo quod amplius deliquit. Unde ii. quod autem
in viris pluribus operibus fatigatus. unde ipse

dicit ysa. xliij. Seruire me fecisti in ini-
quitatibus tuis. Item. laboraui sustinens.
¶ Beatissima igitur uirgo huic legi pu-
rificationis non tenebatur. que non peperit
suscepto semine. sed mistico spiramine.
ne. Vnde moyses addidit. Suscepto
semine. cum tamen necesse non erat. quantum ad
alias mulieres. que omnes suscepto semine
pariunt. Sed ideo addidit ut dicit Beda. que timu-
it in matrem domini blasphemiam irroga-
re. Voluit tamen in hoc se subdere legi
propter .iij. rationes. Primum ideo est ut preberet hu-
militatis datur. vnde dicit B. Vere Ra-
uirgo non habes causam. nec tibi opus est purifica-
tione. sed numquid filio tuo opus erat circumci-
sione. Esto inter mulieres tamquam una
illarum. Nam et filius tuus sic est in medio
puerorum. hec autem humilitas non solum fuit
expers immundicie. sed et expers filius qui similiter
in hoc uoluit se subdere legi. Nam
in natiuitate se habuit ut pauper homo. In cir-
cumcisione ut pauper et peccator homo. Sed
hodie ut pauper et peccator et seruus homo.
Vt pauper in eo quod pauperum obla-
tionem elegit. Vt peccator in eo quod ipse
cum matre uoluit expiari. Vt ser-
uus in eo quod uoluit redimi. Sic et post-
modum uoluit baptizari. non propter culpam
purgandam. sed propter eius humilitatem ma-
ximam ostendendam. Nam omnia remedia
contra peccatum originale instituta. sunt assumere
uoluit. non quia aliquatenus indigeret. sed
ut humilitatem suam maximam nobis
ostenderet. et ut illa remedia pro tem-
pore suo bona fuisse monstraret. ¶
¶ Quinque enim remedia contra ipsum ori-
ginale peccatum per processum temporis in-
stituta sunt. quorum tria sicut dicit hugo de
sancto Victore. in lege nature instituta
sunt. scilicet oblationes. decimationes. et

sacrificiorum immolationes. per que in figura
opus future redemptionis exprimebatur.
Nam modus redimendi exprimebatur per ob-
lationem. Ipsum pretium per sacrificium in quo
erat sanguinis effusio. Ipsum redemptum
per decimationem que homo signatur per decimam
dragmam. Primum ergo remedium dicitur
oblatio. Vnde chaym obtulit deo mu-
nera de frugibus. et abel de gregibus. Se-
cundum fuit decimatio. Vnde et abra-
ham melchisedech sacerdoti decimas ob-
tulit. Nam secundum aug. decimabat quod
curabat. Tercium fuit sacrificiorum ob-
latio. Ipsa enim sacrificiorum oblatio fuit
quando deus gregis erat contra originale peccatum. tamen
quia exigebatur ut ad minus alter paren-
tum fidelis esset. et aliquando uterque infideles
esse potuit. Ideo aduenit .iiij. reme-
dium. scilicet circumcisio que siue parentes fi-
deles essent siue infideles ualebant.
Sed quia per medium non poterat. quia uel
non solum maribus nec ianuam paradisi po-
terat aperire. ideo successit ei baptis-
mus qui est communis omnibus. et quia ianuam pa-
radisi aperit. ¶ Primum igitur remedium xpus
assumpsisse uidetur cum dominus in templo
a parentibus est oblatus. Secundum remedium
quodammodo assumpsit. quia xl. diebus et xl.
noctibus ieiunauit. quia non habebat
unde solueret decimas rerum. saltem deo
obtulit decimas dierum. Tercium assump-
sit. quando mater eius par turturum aut duos
pullos columbarum pro eo obtulit ut non fieret sa-
crificium. ¶ Quartum quando se circumcidi permisit.
¶ Quintum quando a iohanne baptismum suscepit.
¶ Secundo ideo est ut legem impleret. non enim ue-
nerat dominus legem soluere sed adimplere. Nam
si in hoc legem soluisset. possent se iudei
excusare et dicere. quomodo doctrinam tuam non
recipimus. exemplo quod dissimilis es patribus.

legis traditiones observans. ¶ Et nota quod triplici se legi hodie se Christus et virgo subiecit. ¶ Primo legi purificationis, insigne virtutis ut postquam omnia benefecimus dicamus servi inutiles sumus. ¶ Secundo legi redemptionis ad exemplum humilitatis. Tertio legi oblationis ad exemplum paupertatis. ¶ Tertia ratio est ut legem purificationis terminaret. Sicut enim adveniente luce cessant tenebre et adveniente sole recedit umbra, sic et adveniente purificatione vera cessavit purificatio typica. Ibi enim advenit vera purificatio, scilicet Christus, qui auctor est purificationis. Ergo quod nos a fide purificat. Unde quod dicitur in Actis: fide purificans corda eorum. Hinc est quod deinceps non precepto tenentur ad solutionem, nec matres ad purificationem vel templi ingressionem, nec filii ad illam redemptionem. ¶ Quarta ratio est ut nos purificandos instrueret. Nota autem quod quinque modis fit purificatio in lege antiqua, per quos et nos purificari debemus, scilicet victima, que significat peccati abrenuntiationem; aqua, que significat baptismalem ablutionem; igne, qui designat spiritualis gratie infusionem; cineribus, que designat bonorum operum multitudinem; bello, quod designat temptationem. ¶ Veniens autem beatissima virgo ad templum filium suum obtulit et eum quinque siclis argenti redemit. Et nota quod quidam primogeniti redimebantur, sicut primogeniti undecim tribuum, qui redimebantur quinque siclis. Quidam non redimebantur, sicut primogeniti levitarum, qui numquam redimebantur, sed in adulta etate perveniebant semper domino in templo serviebant. Et sic primogenita immundorum animalium quedam non redimebantur sed domino offerebantur. Quedam commutabantur, ut primogenitum asini quod commutabatur ove. Quedam occidebantur, ut primogenitum canis. Cum igitur Christus fuerit de tribu Iuda, que fuit una undecim tribuum, patet quod debuit redimi. [illegible] obtulerunt etiam pro domino par turturum aut duos pullos columbarum. Hec enim erat oblatio pauperum, sed agnus oblatio divitum. Non dicit pullos turturum sicut pullos columbarum, quia pulli columbarum semper inveniuntur, pulli autem turturum non semper inveniuntur, turtures tamen semper inveniuntur. Nec dicit par columbarum sicut par turturum, quia columba est avis libidinosa et ideo in sacrificio suo deus noluit offerri. Turtur autem est avis pudica. Sed numquid beatissima virgo paulo ante a magis multa pondera auri receperat? Videtur ergo quod bene potuit emere unum agnum. Sed dicendum quod sine dubio secundum [B]ernardum magi magna auri pondera obtulerunt, quia non est verisimile quod tales reges tam parva munera obtulissent. Sed tamen beatissima virgo Maria, ut quibusdam placet, illud non retinuit, sed statim pauperibus erogavit. Vel forte peregrinationi in Egiptum per septennium imminenti proinde reservavit. Vel forte non in magna quantitate talia obtulerunt, cum hec in mystica significatione offerrent. ¶ Ponit autem expositor tres oblationes de domino factas. Prima facta est de ipso a parentibus. Secunda pro ipso de avibus. Tertia fecit ipse in cruce pro omnibus nobis. Prima ostendit eius humilitatem, quia dominus legum se legi subicit. Secunda paupertatem, quia pauperum oblationem elegit. Tertia caritatem, quia se pro peccatoribus tradidit. ¶ Proprietates turturis habentur his versibus: alta pe

tur utitur cantando gemitu ute-
ens utitur. Plangat et caste. Venit so-
lus quae moratur. Pullos nocte fovet,
moratur numquam fugit. ¶ Proprietates autem
columbe quae tanguntur his versibus: Gra-
na legit, volitat sociata, cibat aliena, vi-
tat felle caret, plangit socium, per oscula
tangit. Petra dat huic nidum, fugit
hostem in flumine visum. Rostro non ledit,
geminos pullos bene nutrit. ¶ Di-
citur secundo hoc festum Ypapanti domini, quod
idem est quod presentatio, eo quod Christus est in
templo presentatus. Vel Ypapanti dicitur
quod idem est quod obviatio, quia Symeon et An-
na obviaverunt domino cum offerretur in tem-
plum. Et dicitur ab ypo quod est ad et anti quod est
contra. Tunc autem accepit eum Symeon
in ulnas suas. ¶ Et notandum quod triplex obumbra-
tio sive exinanitio hic de salvatore
facta est. Prima est exinanitio veritatis.
Ille enim qui est veritas quodammodo per seipsum
qui est via in seipsum, qui est vita ducit ho-
die ab aliis sed ut a portari permisit. Et cum indu-
cerent puerum Ihesum et cetera. Secunda est exinanitio
bonitatis, quia ille qui solus bonus et sanctus
est tamquam immundus voluit cum matre
mundissima expiari. Tertia est exina-
nitio maiestatis, quia ille qui est portans
omnia verbo virtutis sue, hodie in ulnis
senis se recipi et portari permisit, qui
cum portabatur portantem se regebat. Sed
Senex puerum portabat, puer et cetera. Tunc autem Sy-
meon benedixit ei dicens: Nunc dimittis et cetera
et cetera. ¶ Et notandum quod Symeon appellat eum tri-
bus nominibus: salutare, lumen et gloriam ple-
bis Israel. Ratio autem huius triplicis nominis potest
considerari pluribus modis. Primo penes iusti-
ficationem, ut dicatur salutare re-
mittens culpam [illegible] quia Ihesus interpretatur sa-
lutare, eo quod salvum faciet populum suum a peccatis

rum. Lumen dando gratiam. Gloria plebis dan-
do gloriam. Secundo penes nostram regenera-
tionem. Infans primo exorcizatur et bap-
tizatur et sic a peccato mundatur, quod pertinet ad primum.
Secundo candela accensa ei datur, quod ad secundum.
Tertio ad altare offertur, quod ad tertium.
¶ Tertio penes hodiernam processio-
nem. Nam primo candele benedicuntur et exor-
cizantur. Secundo accenduntur et in manibus fide-
lium dantur. Tertio ecclesiam cum canticis
ingrediuntur. ¶ Quarto penes triplicem
huius festi denominationem. Nam dicitur purificatio
quantum ad purgationem culpe, per quod dicitur salutare.
Dicitur candelaria quantum ad illumina-
tionem gratie, per quod dicitur lumen. Dicitur Ypapan-
ti domini quantum ad collationem glorie, per quod
dicitur gloria plebis Israel. Tunc enim occurremus in
obviam in aera. Vel per ordinem quo laudatur
est in hoc cantico, ut pax, ut sal., ut lux,
ut gloria. Pax est quia mediator. Salus
quia redemptor. Lux quia doctor. Gloria quia
remunerator. ¶ Dicitur tertio hoc festum
candelaria, eo quod candele accen-
se in manibus portantur. ¶ Quare autem
ecclesia hoc ordinavit, ut scilicet in hac die
candele accense portentur in manibus,
possunt assignari iiii rationes. Prima est removen-
dam erroneam consuetudinem. Roma-
ni in kalendis februarii ad honorem februe
matris martis quem credebant deum belli, ur-
bem de v. in v. annum cum cereis et facibus
tota nocte illustrabant ut filius suus
eis victoriam dominaret, cuius credebant
matrem tam sollempniter honorarent,
et illud spacium dicebatur lustrum. Romani
etiam in februario sacrificabant februo id est plu-
toni et ceteris diis infernalibus et hoc pro animabus
antecessorum suorum, ut eis propitiarentur et pro
eis sollempnes hostias offerebant
et tota nocte cereis laudibus insistentes

cum cereis et accensis facibus vigilabant. [illegible]tes et romanorum hiis diebus februi lustratum celebrabant ut ait Innocentius papa. Ab aliquibus dicunt fabulis poetarum originem traxerunt. Dicunt enim quod proserpina fuit adeo speciosa quod pluto deus infernalis eam concupiscens ipsam rapuit et deam rapuit eam fecit. Parentes autem eius per silvas et nemora cum facibus et luminaribus eam multo tempore quesierunt. Et istud mulieres romanorum representantes cum facibus et luminaribus circuibant. Et quia difficile est consueta relinquere et christiani de gentibus ad fidem conversi difficile poterant relinquere has consuetudines paganorum, idcirco Sergius papa hanc consuetudinem in melius commutavit, ut scilicet christiani ad honorem matris domini omni anno in hac die totum mundum cum accensis et benedictis cereis illustrarent, ut sollempnitas quidem staret sed alia intentione fieret. Secundo propter ostendendam virginis puritatem. Aliqui enim audientes virginem purificatam possent credere ipsam purificatione indiguisse. Ut igitur ostenderet quod tota fuit purissima et splendida, ideo ordinavit ecclesia ut luminosos cereos bajulemus, ac si ipso facto dicat ecclesia: Virgo beatissima purificatione non indiges, sed tota rutilas, tota splendens. Vere non purificatione indigebat que ex conceptu seminis non concepit et in utero purissime mundata et sanctificata erat. Adeo autem fuit in utero et in adventu spiritus sancti sanctificata et mundata, quod non solum aliquid inclinativum ad peccatum in ea penitus non remansit, sed etiam virtus eius sanctitatis et castitatis usque ad alios extendebat et diffundebat, ita quod in aliis omnes motus carnalis concupiscentie extinguebat. Unde dicunt iudei quod cum maria pulcherrima fuit, a nullo tamen umquam potuit concupisci. Et hoc est quia virtus sue castitatis cunctos aspicientes penetrabat et omnem in eis concupiscentiam expellebat. Unde comparatur cedro, quia cedrus serpentes odore suo interficit, ita et sanctificatio in aliis irradiabat et omnes motus in carne serpentis occidebat. Comparatur etiam mirre, quia sicut mirra interficit vermes, sic et eius sanctitas concupiscentias carnales. Et hanc prerogativam habuit pre ceteris sanctificatis in utero et virginibus, quia eorum sanctitas et castitas in alios non diffundebatur. Nec carnales motus extinguebat. Virtus autem castitatis virginis et impudicorum corda medullitus penetrabat et ea quo ad ipsam protinus casta reddebat. Tertio propter representandam processionem. Nam maria et ioseph et symeon et anna hodie venerabilem processionem fecerunt et puerum ihesum in templum presentaverunt. Sic et nos processionem facimus et cereum accensum per quem significatur ipse in manibus bajulamus et usque in ecclesiam deferimus. Et nota quod tria sunt in cereo, scilicet cera, lichinus et ignis. Per hec tria significantur tria que fuerunt in christo. Nam cera signat carnem christi que nata est de virgine sine corruptione, sicut apes ceram gignunt sine alterutrum commixtione. Lichinus occulta latens significat animam candidissimam in carne latentem. Ignis vel lumen significat divinitatem, quia deus noster ignis consumens est. Unde quidam dicunt versus: Hanc in honore pie porto candelam marie. Accipe per ceram carnem de virgine veram. Per lumen numen maiestatisque lucem. Quarto propter nostram instructionem. Et nota quod in hoc

instructum, si volumus offerre autem domino purificati et mundi, quod tria in nobis habere debemus, scilicet fidem veram, actionem bonam et intentionem rectam. Sicut enim candela illuminata accensa est fides cum operatione bona; et sicut candela sine lumine dicitur esse mortua et lumen per se sine candela non lucet, sed mortuum esse videtur, sic et operatio sine fide et fides sine bono opere mortua esse dicitur. Lichinus autem intus in cera occultatus est intentio recta. Unde Gregorius: Sic sit opus in publico ut tamen intentio maneat intra in occulto.

Quedam matrona nobilis que in beatam virginem maximam habebat devotionem hec quandam capellam iuxta domum suam construxerat et proprium capellanum habens omni die missam de beata virgine audire volebat. Appropinquante autem festo purificationis beate Marie sacerdos ad quoddam suum negotium longius recessit et domina illo die missam habere non potuit. Vel ut alibi legitur omnia que habere poterat etiam vestimenta pro honore virginis dabat. Unde cum clamidem dedisset et ad ecclesiam ire non posset sine missa illa die manere oportebat. De quo cum plurimum doleret, ecclesiam propriam seu cameram intravit et ante altare beatissime virginis se prostravit. Tunc subito in extasim mentis facta videbatur sibi se in quadam ecclesia pulcherrima et speciosa collocatam esse. Et respiciens vidit turbam maximam virginum in ecclesiam venientem, quas quedam virgo pulcherrima dyademate coronata precedebat. Cumque omnes per ordinem consedissent, ecce turba alia iuvenum qui et ipsi iuxta ordinem consederunt. Et ecce quidam maximum cereorum fasciculum deferens cereum primo virgini que ceteras antecedebat dedit et postea aliis iuvenibus et virginibus tribuit. Demum ad illam matronam venit et cereum ei obtulit, quem ipsa libenter accepit. Tunc prospiciens vidit duos ceroferarios, subdyaconum et dyaconum et sacerdotem sacris indutos vestibus ad altare procedentes tamquam missarum sollempnia celebrare volentes. Videbatur autem sibi quod acoliti essent Laurentius et Vincentius, dyaconus et subdyaconus duo angeli, sacerdos autem Christus. Facta autem confessione duo pulcherrimi iuvenes in medium chori ierunt, officium misse alta voce et devotissime inceperunt et ceteri qui in choro erant prosecuti sunt. Cum autem ad oblationem ventum fuisset, regina virginum et cetere virgines cum aliis qui erant in choro cereos suos sacerdoti ut moris est flexis genibus obtulerunt. Cum autem sacerdos matronam illam expectaret ut sibi cereum suum offerret et illa venire nollet, misit ad eam regina virginum quod rusticitatem faceret quod sacerdotem tamdiu faceret expectare. Illa autem respondit quod sacerdos in missa sua procederet quia cereum suum sibi non offerret. Tunc iterum regina alium nuntium misit. Cui similiter illa respondit quod cereum sibi datum nulli penitus daret, sed illum ex devotione teneret. Regina autem virginum nuntio precepit dicens: Vade et iterum eam roga ut cereum offerat. Sin autem ipsum de manibus eius violenter auferas. Cumque nuntius iussis et rogantem audire recusaret, dixit se in mandatis habere ut ipsum ab ea violenter auferret. Tunc ipse cum magna violentia cepit cereum et ipsum auferre conabatur. Illa autem

fortiter retinebat et se viriliter defende-
bat. Cumque longa fieret altercatio et
hinc inde cum violentia traheret, ci-
reus fractus est et medietas in manu
nuntii et alia medietas in manu ipsius
dominae remansit. Ad hanc igitur vehemen-
tem fractionem illa subito ad se redi-
it et se in eodem altare ubi se posuerat in-
venit cereum fractum in manu sua te-
nens. De quo valde admirans immensas
gratias beatissimae virgini reddidit, quae eam
sine missa illa remanere non permisit,
sed officium integre fecit. Illa autem diligenter
cereum reposuit et pro magnis reliquiis reser-
vavit. Sed et omnes qui tangunt de eo a
quocumque detineantur infirmitate penitus
liberantur. Legitur quod alia matrona dum
esset gravida quadam nocte in sompnis
vidit ante se portare quoddam vex-
illum quod colore sanguineo erat tinctum.
Evigilans autem sensum amisit quia dyabolus eam
ludificabat ut videretur sibi quod christianam
fidem quam hactenus habuerat in manibus
suis haberet et inde continuo exiret. Quae
cum nullatenus curari posset, in quadam
ecclesia beatissimae virginis purificationis
pernoctavit et integram sanitatem recepit.

Blasius dicitur quasi blandus. De sancto [...]
vel blasius dicitur quasi belasius, a be-
la quod est habitudo et syor parvulus. Blandus
per dulcedinem sermonum, habitus per habi-
tum virtutum, parvulus per humilitatem morum.

Blasius cum omni mansuetudine
et sanctitate polleret De sancto Blasio
christiani eum in Sebaste civitate Ca-
padociae in episcopum elegerunt. Qui episcopatu sus-
cepto ob Dyocletianam persecutionem
speluncam petiit et ibi heremiticam
vitam duxit. Cui aves pabulum afferebant
ac ferae ad eum unanimiter confluebant
et usque dum imponeret manum eis be-
nedicens non recedebant ab eo. Denique
si quae infirmabatur ad eum continuo
veniebant et sanitatem adepti regressum
reportabant. Praeses igitur regionis il-
lius dum milites suos ad venandum
misisset et illi in vanum alibi labora-
rent, casu ad antrum sancti Blasii venien-
tes magnam ibi multitudinem besti-
arum ante ipsum stantem reperiunt. Quas
dum nullatenus capere possent, attoni-
ti domino suo nuntiaverunt. Qui statim plu-
res milites misit et ut ipsum cum omnibus
christianis ad se adducerent fecit. In ipsa
autem nocte Christus ei tertio apparuit dicens: Sur-
ge et offer mihi sacrificium. Ecce autem
milites adveniunt dicentes: Egredere,
vocat te praeses. Quibus respondit sanctus
Blasius: Bene veniatis filii mei, nunc video
quod deus non est oblitus mei. Pergens vero
cum eis numquam praedicatione cessavit
et coram eis multa miracula fecit.
Tunc mulier quaedam filium suum mo-
rientem cui in gutture os piscis tran-
sversum erat ad pedes eius attulit et ut
sanaret cum lacrimis postulavit.
Sanctus vero Blasius super eum manum im-
posuit orans ut puer ille et omnes
qui in eius nomine aliquid peterent sani-
tatis beneficium obtinerent et sta-
tim sanatus est. Cumque mulier quaedam
paupercula unum solummodo porcum
habens quem violenter lupus rapuer-
at sanctum Blasium deprecabatur ut sibi
reddi faceret porcum suum. Qui sub-
ridens dixit: Mulier noli contris-
tari, reddetur tibi porcus tuus.
Continuo lupus venit et porcum
viduae reddidit. Cum ingrederetur ergo
civitatem iussu principis carceri